



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 4. Cur alia alibi monstrosa, vel non monstrosa videantur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

tamen strumosos efficiunt incautiùs bibentes. Num igitur vniuersi Conditor fontes obstruere, riuos claudere, fluuios auertere debet? Enimuerò non debet. Esto viri feminaeque inde strumas, tamquam carneas quasdam crumenas, è collo dependulas, gutturalemque & ingratè pinguem, quamdam absone vocis ruditatem nanciscantur. Vitium deforme nobis videtur esse struma, fateor, & vel regia manu, non sine prodigio, aut gratia gratis data, sanandum; sed num idcirco vel sal, vel metalla, vel lapides, quorum allapsu aquæ vim medicinalem trahunt, in nihilum redigenda sunt? Tum profectò & ipsæ aquæ erunt è Mundo eliminandæ, ne ignem, immò hominem extinguant in eas incidentem. Stultissimi sunt mortales, qui rem vtilem nolunt pati, quia nocere potest male vsurpata.

§. IV.

Cur alia alibi monstrosa, vel non monstrosa videantur?

Moneor hîc, vt & illud obseruem, sæpe fieri consuetudine, vt res deformes non deformes, sed decentes videantur. Vnde desinunt haberi pro môstris. Vt enim simi-

am simius existimat esse formosam; sic apud eas gentes, quæ viros habent strumosos, feminae strumosæ inter formosas numerantur; putanturque sine dote, venire, si veniunt sine eiusmodi appendice: quæ illis & pro collari est, & pro torque aureo, & pro precioso monili, & pro fascia pectorali; quamvis sæpe tam proluxa, ut in tergum eam reijcere, & retortam in humeris, tamquam imperatoriam chlamydem gestare possint, instarque paludamenti, aut epomidis Doctoralis ventilare.

Monste-
rus lib. 3.
Cosmog

Monsterus scribit, in Stiria ac Valesia, homines esse adeò strumosos, ut non solum strumæ pondus sermonem impediatur, sed feminae quoque lactantes illas post tergum perinde atque saccum projiciant, ne infantibus ad potum inhiantibus sint impedimento. Itaque quæ ratione naturæ sunt, aspectu turpia, pulchra efficit consuetudo: immò & coram Deo pulchra sunt, quia confitentur illius bonitatem, iuxta illud: *Confessio & pulchritudo in conspectu eius*. Multa profectò monstra vocantur, non apud eos, apud quos, & à quibus oriuntur, sed ab ijs duntaxat, apud quos, tamquam insolita pariunt admirationem. Quapropter, apud Caphres,

Psal. 99. 6.

Caphres, Æthiopes, Mauritanos, & Ægyptios, nigri homines, quia ita soli natura, & solis flagrantia fert, non æstimantur deformes, sed venusti; ac si ad eos Europæus, aut albæ cutis homo accedat, pro monstro aspicitur. Quod etiam in gigantibus, apud gigantes; & apud pygmæos, in pygmæis fieri, credibile est. Nos pumilos, tamquam hominum compendia, admiramur, quia raritas gignit stuporem: non admiramur, si omnes pumili essemus. Qua de causa Nicephorus, cum de Pygmæo, qui pernici similis inuentus est, narrauisset, adiecit: *Sed etsi hic vnus, aut alter Pygmæus fuit, non tamen populi, in hoc Occidente, vquam comperti sunt.* Quo loco indicat, etsi non in hoc Occidente, attamen alibi populos integros staturæ curtioris reperiri. Et certè patriam cuique quasi parentem esse, multumque & in corpora & in ingenia posse experientia quotidiana demonstrat; sicut & de cælestium siderum afflatu. Hinc illud Ptolomæi effatum est: *Terrestres vultus vultibus cælestibus subiiciuntur.*

§. V.

Vbi canina, alijsq; figuris homines nascantur?

Non

Niceph.
l. 12. c. 37.